

vertet, si, non inani quadam persuasione, quæ à me longè est remota, sed amore illius sapientiæ incitatus, miraculorum quorundam infimæ aëris regionis contemplationi, auxilianti divini Suspiratoris gratiâ, quantulamcunq; operam addixero: ut ut enim eruditorum sententiam minus fuero assecutus, eorum tamen vestigia, quantum potero, legam.

THESIS I.

Sit ergo primum quod sub considerationis nostræ Sincudem revocemus *Ignis fatuus*, circa hunc perpendemus 1. Nomen, 2. Causas, 3. Locum, 4. Tempus, 5. Effecta. Ex quibus definitio facile colligi poterit.

II. Quod *Nomē* attinet huj^o meteori, vel ὑπεκκαύματ^o (sic enim à Philosopho meteora Ignita à facili accensione appellantur 1. *Meteor. c. 4.*) diversimodè illud à diversis inditum est; modò enim venit sub nomine *ignis fatui*, vel propter instabilem agitationē, vel quod viatoribus ut fatuis illudit, eosq; ceu fatuos circumducit, de quibus infra; modo *erratici*, quod vel ipse oberrat, nec locum fixum, ob levitatem, quâ donatus est, obtinet; vel quod incautos in erronea & avia præcipitat. Et fortassis collinearunt huc Germani appellantes illum einen *Zirrwisch* (weil es gleichsahm in der Zire herumwischet oder fleucht) Nonnulli vocant illum *Ignem sequentem & præcedentem*; Progredientes namq; aërem dimovemus ac propellimus, tantòq; vehementiùs, quantò contentiùs ambulamus, jam aër pulsus, pellit proximū, & hic proximum, donec ipsum halitū inflammatum, si forte ante nos sit, attingat eumq; propellat; Dum vero fugimus, aërem nobiscum à tergo quodammodo rapimus, & cum aëre, ignis flammam, si post nos in aëre hæreat. Et cum hac appellatione consentit græcum vocabulum *πελινδρομον*, quod quasi hinc inde, antroorsum, retroorsum, currat.

Nomi-